



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Barbaram quinam mysticè exprimant, quique eundem Christo præferant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

mine illi proprio dignantur, dicentes: *Non hunc* (de Christo loquentes: Quasi dicant: *Non hunc*, ignotum nobis vnde venerit, liberes Pilate) *sed dimitte nobis Barrabam*. Quod quid aliud est dicere (expendas tu) quam, Tolle hunc vt occidatur, qui leprosos mundat, infirmos curat, & mortuos resuscitat: & liberetur à morte, qui innoxios necat?

Barrabam quinam mysticè exprimant, quicq; eundem Christo præferant.

Discere hic debent, qui in electionibus, prouisionibusq; malos scienter præferunt melioribus, Barrabam anteponunt Christo: animarum interfectorem, Christo æstimant digniorem. Illum enim exaltant, Christum deprimunt. Secundò, omnes discant, qui viuere Christo volunt, mundo id familiare esse, vt iniquitatem in suis alumnis foueat: eos verò qui odiunt iniquitatem, persequatur. Tertio, tu discere hic debes, patienter æquanimiterq; ferre, si tibi vilior iniquus præferatur, licet non facillè iudicare, aut credere debes, te esse quemuis alium iniquiorem. Nullam ergo æstimaret, aut sentire debes iniuriam factam, quicunq; tibi præferatur. Hoc tibi facillè erit? si te omnium habueris vilissimum, atque Deo ingratisimum. Discimus igitur quarto, profundissima humilitate nostram deprimere superbiam. Erubescimus locum inferiorem, erubescimus paupertatem, erubescimus cum pauperibus aut despectis sociari. Et quid est, quod non erubescimus, nisi quicquid apud mundi iudicium, inglorium est? Voltimus enim gloriosi æstimari, de diuitibus parentibus, de magnis amicis, docti, prudentes atque honore digni, quando interim Dominum, creatorem, redemptoremq; nostrum non modo comparari homicidæ atq; latroni, sed illo etiam nequiore, vita indigniorem, magisq; exolum cernimus haberi. Vtinam hoc infigeremus profundius cordibus nostris. Sperandum profectò esset, non adedò prompros nos fore ad inanem gloriam & iactantiam, nec adedò nobis foret amarum, siue despici, vituperariq; siue non reputari. Vide, quamuis pessimi simus atque flagitiosi peccatores, nondum tamen contra nos dictum est, nihil in nos clamatum, cuiusmodi contra Christum clamatur, innocentem, vt crucifigatur. Quintò, quid inuidia faciat discendum est: quàm videlicet rationem perturbet, cæcasq; efficiat hominum mentes. Vide, si non hodie quoq; iniqui, si in peccatis suis arguantur, bonos moliuntur persequi, deturbare officijs, honoribus deijcere. Vide, si non quandoq; in visitationibus monasticis contra bonum prælatum clametur; qui prauorum desiderijs restitit, Crucifigatur, hoc est, Absoluatur. Quibus sic clamantibus si iudex dicat, Non inuenimus causam absolutionis: tanto magis clamant, Absoluatur: vt fortasse Barrabam aliquem, qui immortificatis ipsorum desiderijs acquiescat, præferant magis scientem animas occidere, quam sanare. Sextò admonemur Christum præferre omnibus, quem (cheu) in omni peccato æstimamus viliores ea re pro qua peccamus. Heu quantus contemptus, quanta contumelia fit Christo, quando eidem cibus, quando gloriola, quando scortorum concubitus vè illi (hoc est, eius amore) præfertur.

Barrabam quomodo quis mysticè Christo anteponat.

Mundo familiare qd.

Superbiam vt profundissima humilitate deprimere debeamus.

Inuidia quid efficiat.

Christus omnibus præferendus quomodo contemnatur à peccatore.